

Casus Moralis

Titius parochus Semproniam secum constituit habere famulam, putans ipsam esse fidelem et prudentem et piam feminam. Caius, consanguineus parochi, certo scit Semproniam esse libidini et furtis obnoxiam, ac proinde dissuadet ei rationibus generalibus ne hanc conducat famulam. Cum autem Titium a proposito non posset abducere, vitia puellae ei manifestavit.

QUAERITUR:

Primo: Quanam adest differentia inter mendacium, suspicionem temerariam, iudicium temerarium et detractionem?

Secundo: Num sit grave peccatum detractionis grave crimen alterius sine causa etiam uni soli manifestare?

Tertio: Quid de modo agendi Caii?

Respondeo:

RESPONDEO AD PRIMUM:

Cum homo habeat ius strictum ad bonum famae et aliquando etiam ad cognoscendum verum, suspicio temeraria et iudicium temerarium et detractio et aliquando etiam mendacium possunt constituere veram iniuriam seu violationem iuris stricti alieni.

Ratione autem modi, istae laesiones iuris stricti differunt inter se. Nam mendacium seu locutio contra mentem habetur formalis quando rationabiliter quis censetur velle communicare mentem suam. "Contra mentem", id est, qua scienter quis dicit quae falsa sunt, ita ut inter iudicium expressum et iudicium mentale sit discrepantia. Iuxta Angelicum mendacium est voluntas falsum enuntiandi et non requiritur voluntas fallendi, quae pertinet ad perfectionem mendacii. Ideo quando quis habet ius strictum ad cognoscendum verum, mendacium formale constituit veram iniuriam. Suspicio autem temeraria habetur quando quis sine sufficienti motivo propensus est ad firmiter assentiendum de malo alterius; dum iudicium temerarium habetur quando quis sine sufficienti motivo firmiter assentit de malo alterius. Ergo in suspitione non habetur assensus sed propensio ad firmiter assentiendum, dum in iudicio temerario habetur firmus assensus. Detractio sensu lato sumpta, est quaevis iniusta violatio famae alienae. Ergo tum suspicio temeraria tum iudicium temerarium possunt dici etiam detractioes. Sensu autem stricto, et tunc vocatur simplex, detractio est revelatio iniusta mali alieni veri

sed occulti. Detractio simplex differt a calumnia, qua falsum malum proximo imputatur. Controvertitur inter theologos num detractio simplex constituat peccatum contra iustitiam commutativam. Hinc detractio simplex potest aliquando esse non iniusta, calumnia vero est semper iniusta.

Ratione gravitatis malitiae, mendacium est intrinsece malum; et nunquam licitum esse potest. Prohibetur quia malum est et non vice-versa; et quidem est absolute malum, admittit tamen parvitatem materiae, quod patet. Immo per se est peccatum leve contra veritatem. Si vero mendacium constituit iniuriam seu violationem iuris stricti alieni, cum tunc laedat etiam iustitiam, est peccatum grave per se. Suspicio temeraria et iudicium temerarium sunt probabiliter peccata tantum venialia; gravis tamen esse potest malevolentia ob quam in suspicione gravi de re gravi persistatur. Plures tamen theologi opinantur utrumque grave per accidens fieri posse, e.g. suspicio de crimine gravissimo patrato ab homine probo.

RESPONDEO AD SECUNDUM:

Si agitur de unica persona prudenti et discreta, revelare grave peccatum alterius, seclusa speciali malitia, et sine causa, controvertitur num sit grave.

Sententia communior et probabilior affirmat graviter peccari, nisi inadvertentia aut magna levitas excuset. Ratio est 1° quia laesio famae etiam apud unam personam gravem, gravis censetur, ut patet ex iudicio temerario, quod per se grave est; 2° quia saepe homines acrius ferunt se laedi apud unam personam gravem quam apud tres vel quatuor alias. Hae tamen rationes non convincunt; nam cum iudicio temerario non stat paritas: in hoc enim fingitur crimen sine solido fundamento, dum e contra in detractioe crimen est certum. Nec valet secunda ratio scilicet, homines saepe id acrius ferre, quia etsi ipsis id displiceat, displicentia talis non videtur rationabilis.

Altera sententia quae negat, satis probabilis est. Ratio est, quia fama consistit in communi aestimatione hominum; at non censetur absolute diffamatus qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit. S. Alphonsus id habet ut satis probabile.

RESPONDEO AD TERTIUM:

Si Caius cognovit Semproniae vitia ex secreto naturali aut

commisso, non videtur damnandus si puellae vitia Titio parcho manifestavit, servato moderamine inculpatae tutelae. Quia iuxta omnes theologos secretum naturale aut commissum, et inde a fortiori promissum, licet revelare si bonum tertii innocentis id exigit, aut ut in casu nostro, bonum commune Ecclesiae.

Si vero Caius vitia Semproniae puellae cognovit ex secreto rigoroso seu officioso, utrum licite Caius ista vitia revelare posset ob bonum tertii innocentis, controvertitur inter theologos; iuxta omnes tamen licet ad avertendum damnum tertii innocentis si damnum inferendum est ab eo qui secretum commisit, quo in casu Sempronia haberi potest uti iniustus aggressor.

C. BONNICI.
